SYNOPSIS DOCTRINÆ
APOSTOLI PAVLI
DE
IVSTIFICATIONE,
EX PRIMIS CAPITIBVS
EPISTOLÆ AD ROMANOS
desumta, & certis Thesibus comprehensa:

Proposita ad disputandum in Auditorio Theologico inclytæ Academiæ Heidelbergensis: A DANIELE TOSSANO *Sacræ Theologiæ ibidem Professore:*

Respondente
BARTHOLOMÆO COPPEN
ROSTOCHIENSI.

Ad diem XVI. *Martij, hora septima & reliquis horis antemeridianis.*

HEIDELBERGÆ,
cIↃ. IↃ. LXXXVIII.

ORNATISSIMO VIRO, ET VERBI DIVINI MINISTRO SINCERO, D. IACOBO COVETIO, fratri & affini suo carissimo.

SÆPENVMERO *mihi gravissimam illam D. Pauli commonefactionem animo repetenti:* Erit tempus, quũ sanam doctrinã nõ tolerabunt, sed auribus prurientes, ipsi sibi pro suis cupiditatibus coacervabũt doctores: *in mentẽ venire solet, nihil vtilius in scholis Christianis, nihil salutarius fieri posse, quã si subinde ex Scripturis Hypotypoſis sanæ doctrinæ breviter & methodicè proponatur, & inculcetur, ut studiosa iuventus quasi ideam veritatis in conspectu semper habeat, & velut succum ipsum Prophetica, & Apostolicæ doctrinæ, quæ in nostris Scholis per Dei gratiam sonat, imbibat. Cùm igitur hoc tempore versẽr in explicatione luculentæ illius Epistolæ ad Romanos, in qua diuina planè, absolutissimaq́ Methodo primarium illud, & dulcissimæ consolationis plenum, Religionis Christianæ caput de gratuita peccatoris* IVSTIFICATIONE *tractatur, putaui mihi faciendum, vt maioris perspicuitatis causa, & ad testandum consensum Euangelicarum Ecclesiarum cum vera, veteréq́ Apostolica Romana Ecclesia, totum illum locum certis Thesibus ex Epistola ad Romanos desumtis comprehenderem: quas Theses, frater & affinis obseruande, & animo meo carissime, tibi, qui τῆς ὑγιαινούσης διδασκαλίας constantissimus assertor semper fuisti, dedicare volui, vt in tuo exilio, quod pro hac inuicta veritate pateris, te consoleris in Domino, qui informes hyemes reducit, & idem summouet, & beatos eos pronunciauit, qui propter nomen & gloriam eius aliquid patiuntur: & ego*

2 Tim. 4.

me consoler, recordatione nostræ amicitiæ, & affinitatis, quæ nunquam intermorietur, viuente semper in memoria mea & pectore meo religiosissima sorore tua, MARIA COVETIA, conjuge meæ fidissima, pie memoria, quæ nunc IVSTIFICATIONIS suauissimum fructum sentit, VITAM nimirum AETERNAM, ad quam quotidie contendimus, per eum qui solus est VIA, VERITAS, & VITA. Vale. Perscriptum Heidelbergæ, 1588. 4. Martij: cuius mensis die 19. ante annos 23. Andelagi in Gallia, sororem tuam verè germanam, in matrimonium duxi; illa autem anno superiore 28. Martij, in domum Patris cœlestis ad Sponsum Ecclesiæ traducta est, cum eodem die anno 1584. Heidelbergam Neustadio cum familia reliquisset.

Tuus Frater & affinis

DANIEL TOSSANVS.

SYNOPSIS DOCTRINÆ
BEATI APOSTOLI PAVLI
DE
IVSTIFICATIONE, DESVMTA
ex primis capitibus Epistolæ ad Romanos.

THESIS PRIMA.

CVM D. Paulus Euangelium, cujus erat Apostolus, definiviſſet, POTENTIAM DEI AD SALVTEM OMNI CREDENTI: ſive organum Dei ſalutare & efficax ad excitandam in nobis Fidem, & conferendum ſalutem & vitam omnibus ijs, qui promiſſionem Euangelij Fide amplectuntur: ad id probandum, & evincendum, hoc medio uſus eſt in Epiſtola ad Romanos: Per doctrinam Euangelij quæ hodie in toto mundo prædicatur, manifeſtum eſt revelari, & percipi à credentibus juſtitiam Dei: quod non fit nec per Philoſophiam, nec per legem Moſis aut ullam aliam doctrinam: Ergò ſolum Euangelium eſt POTENTIA AD SALVTEM OMNI CREDENTI.

II.

Vbi enim juſtitia, ibi pax, gaudium, & vita: ſicut contrà injuſtitia nos reddit Deo abominabiles, atque idcircò terroribus, & condemnationi obnoxios. *Rom. 14.*

III.

IVSTITIAM autem Dei, Apoſtolus propria & peculiari ſua phraſi vocat non ſolùm Iuſtitiam excellentem & Deo gratam, vel à Deo mandatam (nam & talis erat Iuſtitia Legis) ſed quæ coram Dei judicio conſiſtat, ut innuit capite 2 verſu 2. 3. & quæ pacem adfert erga Deum

Rom. 5. versu 1; quæ denique est, χάρισμα, ϗ δωρεὰ ἐν χάριτι. Rom. 5. versu 15.

IIII.

Nam Lex quidem est per Mosem data: Gratia autem, & veritas, id est, vera justitia, & promissionum Dei, adeoque totius Legis impletio per Christum exstitit. Joan. 1.

V.

Iustitiam ergo justificantem peccatorem, definit Paulus justitiam donatam a Deo, acquisitam per Christum, & in eo residentem, imputatam omnibus credentibus in eum, per quam varia δωρήματα consequuntur, utpote Spiritum sanctificationis, & vitam æternam.

VI.

In hac verò justitia & justificatione explicanda hunc ordinem tenet Apostolus, ut primùm ejus necessitatem ostendat: deinde materiam, formam, atque etiã causam instrumentalem: posteà ejus effecta, fructus & usum: ac denique nos ad causam illam remotam, & principem deducat, Dei nimirum Electionem, juxta propositum ϗ δοκίαν: quæ verè est basis gratuitæ justificationis, & certitudinis nostræ salutis: unde etiam fit ut nec justitia, nec fides sit omnium, sed tantùm electorum, ut docet Apostolus Tit. 1.

VII.

Necessitatem illius justitiæ, hoc dilemmate ostendit: Iustitiam homines vel in se habent, vel extra se apud eum, qui solus est justissimus, & fons justitiæ: Atqui in seipsis non habent; Siquidem omnes peccarunt, & deficiuntur gloria Dei, sive quod eodem redit: omnes, tùm Iudæi, tùm Gentes exciderũt illa justitia, & sanctitate, quæ erat imago, & gloria Dei: & varijs peccatis, & transgressionibus iram Dei subinde cumulant: Ergo justitia alibi

mutuanda

mutuanda, & apud Deum quærenda est.

VIII.

Licet enim nobis sæpè blandiamur, & nescio quibus simulachris justitiæ nitantur Hypocritæ, sicut Iudæi faciebant, in nescio quibus ceremonijs & umbratili Legis observatione acquiescentes: cùm tamen ad Dei tribunal veniendum est, id omne consistere nequit: imò & conscientiarum stimulos, redargutionem, & tumultum ij etiam sæpissimè sentiunt, qui maximè justi, & sancti in mundo videri volunt: & nihil sceleratius erat vulgo Iudæorum, ut eos palàm convincit Apostolus. *Roman. 2.*

IX.

Cæterùm cùm ad essentialem Dei justitiam, quæ nos statim absorberet, confugere non possimus, sapientissimo, & saluberrimo consilio, summaque misericordia, proposuit nobis, & produxit in mundum Deus filium suũ ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius, ut agnoscatur ipse, & justus, & justificans eos qui credunt in Iesum Christum, qui est propitiatio pro peccatis nostris. *Roman. 3.*

X.

Et habet certe istud remedium pulcram proportionem cum morbo: Vt enim per unum hominem peccatum penetravit ad omneis, qui ex Adamo naturaliter nascuntur, tùm imputatione & reatu, tùm propagatione: sic per hunc hominem δικάιωσιν justitia acquiritur, donatur, imputatur omnibus credentibus, qui supernaturaliter ex Deo nascuntur, sanctificantur, & indies renovantur ad Dei imaginẽ. Et sicut Adamus sua inobedientia se & suos præcipitavit in mortem, quæ stipendium est & merces peccati: sic Christus obedientia sua usque ad mortem crucis vitam æternam nobis promeruit, & credentibus donat, ad quam mors eorum temporalis, est *Rom. 5.* *Johan. 1.*

transi-

est transitus, non exitus propriè ex vita, ut loquitur Cyprianus.

XI.

Ex his colligere non est difficile, quæ sit materia & forma nostræ justificationis: MATERIA quippe est obedientia Christi, sive meritum ipsius; quod etsi in passione potissimùm consideratur, non tamen excluditur totus cursus ejus obedientiæ, neque ipsa Resurrectio, quæ verè confirmavit efficaciam, & dignitatem illius sacrificij, & sanguinis expiantis peccata: quòd nimirum sit sanguis ejus, qui imperium habet in mortem, & est resurrectio, veritas, & vita. FORMA, est illius obedientiæ imputatio, & remissio peccatorum per & propter sanguinem Christi: quæ imputatio facit, ut justitia Christi, quæ erat aliena, nostra fiat verè, & realiter, non minùs per imputationem, quàm Christi per actionem; quandoquidem ei insiti sumus, & nobis verè donatur, & verè a Deo acceptatur.

Joh. 14.

XII.

Et Deus quidem propriè est is, qui potestatem habet justificandi peccatorem; & justificat: tum quia is est contra quem maximè peccatur: tùm quia judicis est condemnare, vel absolvere reum: tùm quia Dominus solus infinito pretio sibi satisfacere potuit.

Rom. 8.

XIII.

Etsi autem Augustinus, & alij Patres IVSTIFICANDI vocabulum nonnunquam ita interpretantur, quòd sit ex INIVSTO IVSTVM facere: id tamen sic fieri ostendunt, ut primùm in Christo, qui noster factus est, IVSTISSIMUS: deinde quia justificatos Christus non in vetere impietate relinquit; sed justificatis donat Spiritum sanctū, qui

qui imaginem Dei paulatim in eis instaurat, & ad novam obedientiam ipsos renovat.

XIIII.

Vera aliàs significatio hujus vocis IVSTIFICARE, in hac disputatione Paulina hæc est: coram Dei tribunali a reatu absolvere, sive justum & innocentem pronunciare, ne vel a Dei severo judicio, vel a Legis maledictione aliquid sit metuendum.

XV.

Quæ phrasis nō solùm usitata est in Scripturis, Deuteron. 25. Iobi 9. Proverb. 17. Esai. 5. Matth. 12. Lucæ 18. Roman. 8. versu 33. 1 Cor. 4. verùmetiam aliter in hac disputatione Paulina accipi nequit.

XVI.

Primùm enim sistit nos Apostolus coram Dei tribunali, & tùm Legem, tùm conscientias nostras facit accusatores nostros: Deinde dicitur impios justificare: nullo scilicet qualitatis, aut pietatis eorum respectu: prætereà justificare, & servare ab ira, quasi Synonyma ponit, Rom. 5. vers. 9. Item justificari nos gratis asserit nostri respectu, exclusa omni gloriatione. Et denique hanc facit Antithesin, Rom. 3. obnoxium esse condemnationi Dei, vers. 19. & justificari per redemtionem in Christo: & ad Rom. 8. Quis condemnabit? Deus justificat, &c. *Rom. 3.* *Rom. 4. vers. 5.* *Rom. 3.*

XVII.

Licet porrò justificationis comes sit SANCTIFICATIO, ejus tamen causa dici nequit, cujus est potiùs fructus, & consequens: sicut arborem priùs bonam esse oportet, quàm fructus bonos proferat: ita personam Deo acceptam antequàm eius opera Deo placeant. Deinde nec causa potest rei optimæ & perfectissimæ esse nova obedientia, neque conscientias coram Deo tranquillas red-

dere, quæ ſemper in hac vita eſt imperfecta: Sanctificatio denique cauſa eſſe nequit juſtificationis quæ in inſtante fit, cùm illa ſucceſſivè in Dei filiis peragatur.

XVIII.

Ideò Paulus in tota tractatione cauſarũ juſtificationis, cap. 3. 4. & 5. ſimpliciter excludit opera: quibus poſteà cap. 6. 7. & 8. facilè dat locum, cùm differit de moribus juſtificatorum, & iis quæ juſtificationem conſequuntur.

XIX.

Cauſa verò INSTRVMENTALIS, qua apprehendimus, & apprehendẽdo nobis applicamus juſtitiam Chriſti, quam Deus donat, imputat, & in verbo promiſſionis offert, eſt FIDES, ut conſtãter docet Apoſtolus ad Rom. 3. & Galat. 3.

XX.

Nam id requirit Relatorum natura: Doni, ut apprehendatur: Promiſſionis, ut in eam credatur: & natura gratiæ, quæ gratia eſſe deſineret, ſi non eſſet gratuita, & alia accederent ex noſtra parte, quibus juſtitia applicaretur: ut enim gratuita, & cœleſtis eſt gratia, ſic organum ejus apprehendendæ gratuitum, cælitus datum per Spiritum ſanctum, quemadmodum de Abrahamo dicitur quòd crediderit, & Fides ei, non aliud opus, ad juſtitiam imputata fuerit: & juſtitiam applicaverit.

XXI.

FIDEM autem juſtificantem deſcribit Apoſtolus Roman. 4. non ut notitiam quandam hiſtoricam aut vagam opinionem: ſed firmum & indubitatum aſſenſum & fiduciam in Dei promiſſionem de Remiſſione peccatorum, & juſtitia accipienda propter Chriſtum Redemtorem.

Nec

XXII.

Nec hîc excogitanda est SYNECHDOCHE, quasi partim Fide, partim operibus justificemur, cùm manifestum sit D. Paulum excludere opera non solùm carnalium Iudæorum, sed etiam regeneratorum, ABRAHAMI scilicet, & DAVIDIS, cap. 4. & sua ipsius, cap. 7. & Iustitiam illorum Patriarcharum sola remissione peccatorum, sive peccato non imputato, & imputata justitia Fidei definire. Neque Synecdoche admitti potest, ubi TOTVM invenitur: id est, Christus ex parte non potest dici justificare, in quo Fides plenissimã, & absolutissimam justitiam invenit.

XXIII.

Quapropter illi etiam errant, qui hanc propositionem, FIDE IVSTIFICAMVR, sic accipiunt, quasi Fides sit principium, seu causa adferens alias virtutes propter quas justi pronunciemur: Illa enim unico fundamento nititur, Christi scilicet merito, & obedientia.

XXIV.

Etsi enim FIDES radix, & fons est omnium virtutum Christianarum, quas tanquàm fructus eius Spiritus, quo credentes donantur, producit: non tamen propter has virtutes coram Deo absolvimur, aut justi censemur: sed solus Christi sanguis expiat omnia peccata, & illo solo nititur Fides: ita tamen ut bona opera rectè dicantur fructus justitiæ atque etiam IVSTITIA, sed ὁμωνύμως, si nimirum de justitia bonæ conscientiæ agatur: ut de civili justitia nihil dicamus.

XXV.

Justificamur ergò quidem coram Deo sine operibus, sed Fides non est sine operibus, sive ἀργὸς καὶ ἄκαρπος

& justificamur sine Lege, sed non contra Legem: cui nostro nomine Christus satisfecit, qui in nobis ipsis quotidie Legis divinæ amorem, & novam obedientiam per Spiritum sanctum accendit.

XXVI.

Hæc cùm ita se habeant, vident omnes pij cur Evangelici Theologi, cum pia, & orthodoxa Antiquitate, hanc propositionem retineant, & defendant: HOMINEM SOLA FIDE CORAM DEO IVSTIFICARI: Nam & ita loquitur Scriptura Marc. 5. vers. 36. Μόνον πίστευε: & ad Philippenses 3. OMNIA se ait Apostolus pro damno duxisse, ut Christum lucraretur, & compereretur in eo non habens suam justitiam, quæ est ex Lege, sed eam quæ est per FIDEM Christi. Et nihil aliud vult Apostolus ad Romanos 3. cùm excluſa omni gloriatione GRATIS, & ABSQVE OPERIBVS LEGIS hominem justificari concludit: videlicet, ne vel conscientiæ fluctuent, si duobus fundamentis Fides niteretur: vel Christo debita gloria decedat, si eius sanguis ex parte tantùm expiare, & justificare diceretur: Nam si ex Lege justitia (inquit Paulus) Christus fruſtrà mortuus est.

Chrysost. in 3. ad Rom. & 3. Galat. Nazianz. oratione de Modestia. Basil. Homil. de Humilit. Augustin. in Psal. 88. & Serm. de Temp. 68.

XXVII.

Sunt itaque hæc justificationis gratuitæ pulcerrimi & suavissimi fructus vereque divina effecta, quòd credentium conscientiæ coram Deo pacatæ sunt, & aditum habent ad ipsum, & eius beneficia: in mediis afflictionibus gloriantur, & benè sperant, habentes fundamentum suæ spei, quod ab ipsis inferorum portis concuti nequit: ac denique illum redamant, & propter eum proximum suum, cuius caritatem uberrimam in sua corda diffusam sentiunt per Spiritum sanctum, & ad eius voluntatem & obedientiam sese in dies conformant.

Justificationis effecta. Rom. 5.

Putida

XXVIII.

Putida enim est Sadoleti calumnia, & aliorum Pontificiorum, & cum fallacia accidentis vel non causæ, ut causæ, conjuncta; qui doctrinam nostram de Fide & gratuita justificatione nihil nisi seditiones, adulteria, scortationes, cōpotationes, helluationes producere, & hos esse nostri Euangelij fructus calumniantur; cùm longe tetriora apud Pontificios impunè perpetrentur: & commercia cum Pontificiis huiusmodi vitia in nostris magna ex parte foveant. *In 3. ad Roman.*

XXIX.

Hanc saluberrimam de justificatione gratuita doctrinam, quæ nucleus est Euangelij, philosophicis principiis labefactare conantur Sophistæ, & alij qui vel magnitudinem peccati, vel Gratiæ magnitudinem non considerāt: aut per imprudentiam justificationem cum sanctificatione confundunt; qui error Osiandro, & aliis nonnullis, qui nimis sapiunt in oculis suis, communis est cum Pontificiis. ANTITHESIS.

XXX.

Primùm autem aliquid dicemus de iis qui communia habent cum Philosophis, & Pontificiis principia: deinde ad præcipuas quasdam Pontificiorum objectiones respondebimus: Ac tandem ostendemus non esse per Dei gratiam in Euangelicis Ecclesiis eam varietatem doctrinæ de justificatione, quam nonnulli Pontificij confingunt: si, inquam, ipsas Ecclesias spectes; unus enim aut alter ἑτεροδιδασκαλοῦντες non faciunt Ecclesiam.

XXXI.

Commune est Andreæ Osiandro cum nonnullis Philosophis, & Pontificiis, quod IVSTIFICANDI vocabulum in hac disputatione, non pro reconciliatione cum

Deo, ſive abſolutione peccatoris, & gratuita Iuſtitiæ Chriſti imputatione illi omnes accipiunt, ſed inhærentem iuſtitiã, quæ ſit in nobis, vel, ut nunc aliqui loquuntur, patibilem qualitatem, Formam noſtræ juſtificationis, eſſe volunt: Ac Oſiander quidem ſubſtantialem Dei juſtitiam, quam in nobis habitare putabat, qualitatum nouarum, juſtitiæque habitualis fontem faciebat: Alij verò, ut Maluenda, & Billichius pontificij, & Philoſophi nonnulli, non leuem eſſe errorem pronunciarunt, Deam imputare homini, quod homo non habeat, & peccatum quod habeat, non imputari; cùm Dei judicia ſint ſecundum veritatem.

Sit verba Billichij in colloquio cum Bucero.

XXXV.

Quod porrò ad Oſiandrum attinet, reſpõderunt ſemper magno conſenſu noſtri Theologi: Oſiandrum ſuo dogmate euertere, primùm omnem noſtram conſolationem & ſpem, ſi ad eſſentialem Dei juſtitiam nos adlegget: deinde totam Chriſti obediẽtiam, quam fruſtra præſtitiſſet, niſi, ut docet Apoſtolus, illa obediẽtia inobedientiæ Adami oppoſita, & nobis imputata nos juſtificaret. Omnibus autem illis in genere reſponſum eſt, Scripturam quidem duplicem iuſtitiam a nobis requirere: ſed diverſo modo, & reſpectu: iuſtitiam ſcilicet Dei, quæ pacatas reddat conſcientias, quam ſolus Chriſtus ſuppeditat, donat & credentibus imputat, ut luculentiſſimè docet Apoſtolus Rom. 4. & iuſtitia OPERVM, ſive nouæ obedientiæ, quæ eſt conſequens & fructus illius prioris, & quidem inſeparabilis: Illam priorem autem iuſtitiam ita eſſe alienam, ut noſtra ſit, quemadmodum noſter eſt Chriſtus, tùm quia pro nobis datus, tùm per communionem, quam cum ipſo habemus: neque Chriſtianos debere morari Philoſophica illa principia in hoc ſaltem capite doctrinæ,

strinæ, qui nihil tale, aut tale esse volunt, putà hominem doctum, album, nisi sibi inhærente doctrina, & albedine: Hæc enim sunt mysteria salutis quæ sola Fides intelligit. Respondérunt denique nostri justitiam operum non posse esse vel causam justificationis coram Deo, vel ejus aliquam partem, quoniam imperfecta est, quia justificationem consequitur; quia, quantum tali justitiæ tribueretur, tantum Christi merito, & perfectissimæ obedientiæ detraheretur.

XXXIII.

Non igitur satis est, quod illi homines concedunt Remissionem peccatorum ad justificationem esse necessariam: cùm postea excludant imputationem obedientiæ Christi, quam toties inculcat Paulus, & substituant justitiam inhærentem, vel patibilem qualitatem.

XXXIIII.

Nam semper hæc quæstio manet: Cur peccatum remittatur? An propter obedientiam Christi, quam certè non frustra præstitit, an verò propter nostram aliquam qualitatem; quod posterius cum tota Scriptura pugnat: quandoquidem omnibus etiam regeneratis, cum Davide dicendum est: Domine ne intres in judicium cum servo tuo, Neque enim justificabitur in conspectu tuo omnis viuens: Item cum Apostolis: Remitte nobis debita nostra. *Psal. 143.*

XXXV.

Cùm ergo obedientia Christi meruerit nobis remissionem peccatorũ, & per cõsequens absolutionem ab IRA DEI, quæ remissio non est qualitas inhærens in nobis, sed Dei donũ, & actio Dei imputantis justitiam credentibus: manifestum est concessa remissione peccatorum malè excludi imputationem obedientiæ Christi.

Quod

XXXVI.

Quòd porrò instant, Deũ non tantùm ignoscendo, sed & regenerando justificare: Respondemus id quidem sic dici posse, sed ὁμωνύμως: quia ignoscendo propter Christum, justificat, id est absolvit ab ira; unde sequitur altera species justificationis quæ est effectum, & declaratio illius prioris: Christi siquidem Fide apprehensi duplex est beneficium 1. Quòd per eum Deum propitium habemus: quod quidem fit non fidei virtute, quæ sæpè in nobis est debilis, sed virtute, Christi, & eius obedientiæ perfectissimæ. 2. Quod Spiritu eius sanctificati in dies regeneramur, & ad obedientiam, & amorem Legis divinæ renouamur: justificamur autem perfectè in hac vita; ex parte autem regeneramur: quanquam & vocabulum REGENERATIONIS nonnunquam pro tota hominis restauratione per adoptionem, justificationem, & sanctificationem accipitur.

XXXVII.

Loca quædam Scripturæ proferunt: ac duo hæc potissimùm: 1 Corinth. 6. Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis: Ibi, inquiunt, sanctificatio ante justificationem ponitur: Ergò non est eius effectum.

XXXVIII.

Sed negatur consequentia ducta ab illa collocatione verborum: quemadmodũ non sequitur, cùm Ioh. 3. aqua ponitur ante Spiritum: Nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu: vel priorem vel potiorẽ esse aquæ operationem. Et ibi Apostolus non de serie, & ordine justificationis, sed de eius fructibus & signis differit; undè nimirum appareat eos esse justificatos: & justificationem infrà ibi collocat tanquàm radicem sanctificationis: sicut & primo loco posuit Metaphoricam vocem Ablutionis, quæ in Scripturis

pturis utrumque designat, & justificationem, & renovationem hominis Christiani.

XXXIX.

Locus alter, quem adducunt ex cap. 3. ad Galat. ubi ex Fide, vel prædicatione Euangelij dicitur percipi Spiritus, nihil pro eis facit: Quis enim negat Spiritum regenerationis dari justificatis? Sed non sequitur regenerationem vel sanctificationem esse primarium donum, vel causam justificationis: quem locum D. Pauli Lutherus, & nonnulli alij de donis extraordinarijs, & miraculosis quæ illis temporibus multis credentibus contingebant, interpretantur.

XL.

Obiectiones Pontificiorum.

Sed ne in immensum euadat disputatio nostra: transibimus nunc ad præcipuas quasdam obiectiones Pontificiorum, in quibus tamen expediendis prolixitate non est opus, cùm passim in scriptis nostrorum, solidæ extent earum refutationes.

XLI.

Iudæorum verò obiectiones satis refutauit Paulus, quarum non postrema hæc erat: Si Lex non iustificat, frustrà data esse videbitur: Cõsequentiam negat Apostolus, quia alios multos bonos fines & usus habet, licet non iustificet, ut quod detegit peccatum, ostendit ad quid homo sit conditus, & quæ opera Deo placeant, nec Legis vitio fit, quòd non justificat, sed nostro; cùm in carne nostra impossibile esset eam impleri, Rom. 8. Quare lex quidem bona est, si quis ea legitimè utatur. 1. Timoth. 1.

XLII.

Obijciunt porrò inter alia Pontificij: Scripturam passim bonis operibus justitiam, & mercedem tribuere ac polliceri: Ergo justificare. Atqui negatur consequentia:

Dum enim de hominibus hoc loco agitur, illi sunt considerandi, vel ut justificati, & regenerati, vel non justificati. Si non sunt justificati; illæ promissiones sunt censendæ legales, quæ habent conditionem perfectæ obedientiæ; infert autem semper, & concludit D. Paulus ex Lege neminem justificari; quia nemo eam implet. Si verò homines sunt regenerati, & justificati, eorum opera placēt propter CHRISTVM justificantem, & regenerantem nos: quemadmodum Hebr. 11. facta aliquot Patrum prædicantur, quæ remunerationem habuerunt, quatenus ex fide procedebant: ut & pietas promissiones habere dicitur præsentis, & futuræ vitæ. *1. Timot. 4.*

XLIII.

Et non immeritò certè Tertullianus Apologet. cap. 39. & 46 Augustinus contra Iulianum, & de Ciuitate Dei lib. 15. ca. 20. monent, nullo pacto dicenda esse bona opera, quæ ante Fidem, vel sine fide fiunt: quæ autem Dei sunt opera in nobis, eadem ille gratis coronat.

XLIIII.

Altera obiectio speciosa Pontificiorum hæc est: FIDES sine charitate, & bonis operibus, est ut corpus sine anima: ergò bona opera sunt forma fidei, & cum illa justificant. Respondemus, caritatem non posse esse formam Fidei, quia fides prior est, ut radix, & causa, & per se subsistit, & est eius forma potiùs, certa fiducia in gratuitam promissionem, quam Spiritus sanctus efficit: siue apprehensio Christi, & beneficiorum eius. Sic publicanus, sic Zachæus, sic latro in cruce fide justificati fuerunt, antequam adhuc opera edidissent: licet sese statim in eis fidei fructus exeruerint.

XLV.

Sic Cornelius Actorum 10. cuius orationes, & eleemosynæ

mosynæ in memoriam ascendesunt coram Deo, iam antè fide præditus erat, quamuis imbecilli, ut Augustinus affirmat, & Lombardus ipse non diffitetur lib. 4. Senten. distinct. 25.

XLVI.

Fides ergò non est quidem sine caritate, vel non est sola, siue ociosa, & sine fructibus. sed SOLA justificat: ut manus non est sine sanguine; & tamen non sanguis, sed manus ipsa apprehendit ea quæ tenemus: & justificat fides, non quatenus est virtus aut qualitas in nobis: sed propter obiecta nobilissima, Filium Dei, & verba vitæ æternæ, in quæ obiecta fides perpetuò est intentâ.

XLVII.

Tertia obiectio: Sancti in Scripturis justitiam suam sæpè commemorant: ut Dauid Psal. 7. Iudica me Deus secundum justitiam meam: & inprimis Iacobus cap. 2. contendit non ex fide tantùm, sed & operibus justificari hominem. Verùm ut sæpe à nostris responsum fuit, est ambiguitas & homonymia in vocabulo justitiæ, & justificandi. Iustitiam, quatenus (ut suprà dictum est) ciuiliter aut comparatè consideratur, siue justitiam bonæ conscientiæ sæpè opponunt hostibus falsò ipsos accusantibus sancti, & eius faciunt Deum testem: Iustitiam, qua coram Deo consistunt, aliam non inueniunt, quàm gratuitam peccatorum remissionem. Locus Iacobi, nihil etiam facit contra doctrinam justificationis per Fidem: quia FIDEM quam ibi non vult solam justificare Apostolus impropriè & κατηχητικῶς sic vocat, Historicam scilicet fidem, qualis est in hypocritis: & vocabulum IVSTIFICANDI, pro declaratione & manifestatione justitiæ ibidem accipitur, ut apparet ex versu 18. non autem eo sensu, quo apud D. Paulum.

XLVIII.

Gotthardus, Canonicus. Thyraeus, Jesuita.

Cæterùm cùm passim in commentarijs nostrorum, inueniantur refutationes talium objectionum: superest, ut paucis refellamus eorum calumniam qui scribere non dubitant inter Euangelicos nihil certi tradi de justificatione.

XLIX.

Aiunt autem, alios docere bona opera necessaria esse ad salutem: alios id constanter negare. Respondemus illam controuersiam inter paucos extitisse, & dudum fuisse conciliatam per distinctionem NECESSARII. quod si pro absolutè necessario siue causa accipiatur, ut sine eo res non possit perfici, rectè negatur talis necessitas: Siverò de necessitate consequentiæ, vel secundum quid, vel de necessitate obedientiæ justificatorum, & gratitudinis nostræ erga Deum intelligatur, rectè statuitur necessitas. Debitores enim sumus, non carni, ut secundùm carnem viuamus, sed Spiritui. Rom. 8. v. 12.

L.

In præf. in epist ad Rom.

Ita etiam dudum testatus est Bucerus se a Melãchthone (ut malevoli calumniabantur) non dissentire: dum ipse Fidem cum sanctificatione, siue utramque justitiam cõiungens, sed alteram ut causam, alteram ut consequens & fructum, dicebat justitiam operum Fide simul nobis contingere: Philippus verò justificationem per se, & simpliciter considerans, cum gratuita peccatoris acceptatione apud Deum definiebat.

LI.

Sic quoque maturè fuit a Witebergensibus Theologis doctissimis quæstio illa expedita, & controversia, quam quidam alicubi mouebat, conciliata: An tota obedientia Christi, an verò solum meritum mortis ipsius, & sacrificij nobis imputetur.

LII.

Hîcenim non diuidenda sunt, quæ coniuncta esse debent: Vt enim unica oblatione siue sacrificio corporis eius, & morte, expiantur peccata, sic expiatio illa fit per eum qui toto suo curriculo fuit obediens, & justus Dei seruus, qui nostri causa sponte & Legi & morti obnoxius factus est: ut & totus noster esset, & nobis esset omnia, Sapiëtia, Iustitia, Sanctificatio & Redemtio: & nos ejus sanctitas contra nostram impuritatem; sacrificium & mors contra reatum & maledictionem, contra denique mortem æternam consolaretur. 1. Cor. 1.

LIII.

Quemadmodum & nostra Catechesis magno consensu ab omnibus nostris Theologis approbata & defensa: docet sola Fide in Deum nos justos, ita ut *ex mera Dei misericordia perfecta satisfactio, justitia, & sanctitas Christi nobis imputetur & donari, perinde ac si nullum peccatum admisissemus, nec ulla nobis labes inhæreret: imò verò quasi eam obedientiam, quam pro nobis Christus præstitit, ipsi perfectè præstitissemus.*

LIIII.

Obiiciunt denique Pontificij nec Lutherum secum, nec Euangelicos inter se consentire de Fide paruulorum: an infantes Fidem habeant. in libro enim de Captiuitate Babyl. scribere Lutherum, infantes Fide carere, & prodesse eis parentum fidem. Alibi diuersum. Respondemus illã litem a paucis irrequietis hominibus, & pseudo Lutheranis, Vbiquitarijs scilicet, moueri, qui sibi manifestò cõtradicunt: iam enim scribũt, infantes etiam in utero matris habere fidem: iam non habere Fidem ante Baptismũ: sed ordinatione Dei per Baptismum tanquam constitutum Regenerationis organum: ex quo sequeretur omnes

infantes Baptizatos, & notitiam hiſtoriæ Euangelicæ, & fiduciam ac aſſenſum in promiſsiones actu habere, & ſeruari: item Sacramenta non eſſe ſigilla juſtitiæ Fidei iam communicatæ, ut docet Paulus, ſed organa dandæ Fidei, & juſtificationis. Meliùs multò doctiſsimus quidā Theologus contra Gottardum Canonicum Patavinum reſpondet: Lutherum non ſenſiſſe, nec ſentire veros eius diſcipulos, infantes habere Fidem, aut credere, actualiter & ut propriè definitur Fides: ita ut intelligāt, aut motus Fidei iam ſentiant: ſed tamen rejici rectè eorum errorem qui putent infantes baptizatos Deo placere, & ſaluos fieri ſine aliquo motu Spiritus ſancti: quod ab omnibus Orthodoxis facile conceditur, quem motum alii ſemen Fidei, alii primitias Spiritus ſancti vocant: qui Spiritus in noſtris infantibus eſt efficax, & eſt Spiritus Adoptionis, ſiue Regenerationis quæ in Baptiſmo obſignatur.

LV.

Nam Fides actualis non eſt ad ſalutem abſolutè neceſſaria: ſed ex Dei ordinatione & reſpectu eorum, qui audire poſſunt verbum prædicatum & organa audiendi, intelligendi, credendi idonea habent: quem defectum Spiritus ſanctus in infantibus, quos Pater ab æterno elegit in Chriſto, & dedit Filio, alia ratione compenſat, ſic tamen ut verè adhæreant Chriſto, & ſint κοινωνοὶ ipſius.

FINIS.

In nonnullis exemplaribus, ſi ſecus habeatur, reponendum erit Theſi 50. eam gratuita Theſi 53. & donetur,